

Fastus adest petulans, & prisca nausea veri,  
Pravorum lector fautor & auctor adest.  
Hic sibi vix animus constat, stimulantque dolorem,  
Utraque, quæ video non videoque, ferum.  
Quæ scelus hoc purget, quæ dedecus eluat unda?  
Quæ causa excuset crimina, quive color?  
Excidat, ah! nostris lustris hæc infamia fastis,  
Pagina nec doceat secula sera memor.  
Nesciat Alciphronas, quibus est sapientia fortis  
Scilicet, ac solis læva papilla salit.  
Traduce qui vena sceleratam e stirpe Mezentii  
Traxerunt animam sacrilegumque nefas.  
Eloquar? ingenium ejuratus fronte pudorem  
Adversus superum grex it in arma patrem.  
Concilium horrendum passim velut agmine facto  
Subruit omne bonæ Religionis opus.  
Ariete concussat divinæ oracula Legis:  
In Stygis ultrices fulminat ore minas.  
Divum interpretibus, cœlestia verba loquutis,  
Quos merito dicas Osque Manumque Dei:  
Vatibus, hei! prisca, ceu somnia vana tulissent,  
Ut libet, emeritam dant adimuntque fidem.  
Huc quoque Censuræ spectant fastidia crudæ,  
Cui simplex sancto sordet in ore sonus.  
Ergo ridiculum captans imitamine prisca  
Dat miras textu versicolore schedas.  
Annales testor complexos nomina Regum,  
Quotquot & historias furfuris hujus habes.

Quis